



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis
Expositio**

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Quid sit, & quotuplex Census. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

3. Secundo, si Societas ineatur cum pacto assecurationis Capitalis, & lucri qui nari pro majori lucro sperato, quod Socio in compensationem ejusmodi Onerum relinquatur, sive ista pacta fiant explicita intentione, sive implicita. De hoc ego pluribus agam & infra.

4. Tertio, si ematur Census realis cum pacto utrinque redimendi, & assecurandi, sive implicita, item, sive explicita intentione. De hoc ego agam item b infra.

5. Quarto, si ab ipso expressa determinatione Contractus Societatis, vel Census, &c. Intentio saltem generalis sit accipiendo id lucrum, aliquo tandem modo justo, & legitimo, ad quem consideratis personarum, & facti circumstantis videatur fadum ipsum revocari posse.

Hic modus non est diversus à dictis, vel

decendis, sed solum ostendit implicitam intentionem aliquando sufficere ad Justitiam contractus. Lege eundem Valentianum, & nos quidem de hac re diximus in iisdem c. Decalogi libris.

6. Hac ex Va'entia addi etiam potest. Quinto, si fiat contractus, quam sicuti appellamus *Ad Metam*, de qua disperatum à nobis est latissime in iisdem libris à Decalogi.

7. Sexto, si fiat Contractus veri Cambii, Decalogi, puta cum suis requisitis conditionibus, de c. 7. q. 1 quibus infra agam pluribus.

8. Si cui aliquis alius modus in mentem veniat, hic, oro, subscribat. Dum ego calamus à pagina, quietis gratia, tantisper amoveo.

FINIS TRACTATUS PRIMI.

TRACTATVS II. DE CONTRACTV CENSVALI SEU DE CENSIBVS.

CAPUT I.

Quid sit, & quotuplex Census.

1. **C**ensus, ut hic sumi solet pro anno reditu, Est annua pensio, qua ex re alterius frugifera accipitur.

Multiplices autem haber divisiones, quarum præcipuae sunt sequentes.

Census Reservativus, & Consignativus.

2. Primo, dividitur Census in Reservativum, & Consignativum. In Reservativo, do tibi meum prædium, & reservo mihi ex illo certam pensionem, ut scilicet tu singulis annis,

vel mensibus solvas mihi aliquam justam summam, v. g. decem aureos. In consignativo, retineo quidem dominium rei meæ, v. g. p. ædi, domus, &c. sed in illis constituo pensionem, v. g. decem aureos singulis annis, vel mensibus, tibi solvendos. Solum ergo transfero in te Jus percipiendi pensionem a re mea, non vero rem meam: neque enim in hoc Census genere, vendo tibi rem meam, nec fructus ipsos percipiendos à re mea, sed Jus ad illos percipiendos, ut ex infra dicendis clarius intelliges. Nam propterea Jurisperiti Censem Consignativum sic definit: Est Ius percipiendi annum, vel mensuram pensionem ex re frugifera, vel persona alterius. Unde cum dicitur: *Habes*

Habeo Censum in feudo Petri, sensus est. Habeo ius exigendi certam pecunie summam, seu certos fructus ex Petri feudo. Lege Valent. aliosque.

*1 Val. T. 3.
11 d. 1. 4.
11 p. 1.
Nolm. d.
13.
Leff. l.c.
16. 11. d. 1.*

Adverte, sum, qui emit Centum, id est, cui solvenda est pensio, appellari Censuistam, seu Censualistam: qui vero vendit, id est, qui solvitur est Censum, vocari Censuarium.

Personalis, Realis, Mistus.

3. Secundò, Census Consignativus, de quo solet hic esse sermo, propter graves, & proprias difficultates, quibus scaturit, triplex est, ratione scilicet rei, super qua constituitur, quæ item est triplex. Primo enim constituitur super aliqua persona, diciturque Census Personalis, & tunc pensio solvenda est, veluti ex fructibus propriæ artis industria, operæ, laboris ipsius Personæ, in qua Census fundatur. Mensus autem erit Personalis, si nihil addas, at si addas aliam rem, ex qua non solvatur quidem pensio, sed sit veluti pignus, seu hypotheca ad alsecurationem dicti Census, dicitur, & non mente personalis.

Secundò, constituitur Census, seu fundatur in aliqua re utili, & fructifera, sive immobili, ut sunt Prædia, Domus, &c. sive aliquando mobili, seu se movente, quæ facit fructum, ut sunt greges, armamenta, &c. diciturque Census Realis. Tertiò, constituitur in re, & persona, ita ut, si res pereat, debeat ipsa persona solvere ex fructu sua artis, vel industria, diciturque Census mistus.

Perpetuus, & Temporalis.

4. Tertiò, dividitur Census ratione temporis. Alius enim est perpetuus, id est, pensio est perpetuo solvenda, nam, & ad hæredes transit: alias Temporalis, id est, solvenda ad tempus, sive incertum, ut si esset ad vitam alterius, quo pâcto vocari vulgo solet Vitalitus, sive certum, ut, si esset ad decem, ad quindecim, ad viginti annos: Unde clarè colligis, non esse licitum, constituere Censum perpetuum super personam, quia hæc perpetua non est, & consequenter fructum perpetuum non facit.

Tamburinus de Sacramentis.

Redimibilis, & Irredimibilis.

5. Quartò, dividitur ratione pacti, nam pacisci solet contrahentes aliquando, ut Census redimatur, & tunc dicitur Census redimibilis. Quod si pactum sit, ut Census redimatur, seu extinguitur, quandocumque voluerit Venditor, restituendo pecuniam totam, quam habuit ex venditione, pactum erit in gratiam Venditoris; si, quandocumque voluerit Emptor, erit in gratiam Emptoris, si quandocumque Venditor, vel Emptor voluerit, erit ex parte utriusque atque adeò in utriusque gratiam. Aliquando autem paciscuntur contrahentes, ut nunquam Census redimatur, & tunc erit Census irredimibilis, atque adeò perpetuus. In dubio, an Census sit redimibilis, an irredimibilis, esse irredimibilem putat Delugo c Delugo
d. 27. ac
Inst. m. 7.

Pecuniarius, Fructuarius.

6. Quintò, dividitur ratione pensionis, erit enim Census Pecuniarius, si solvitur pecunia: Fructuarius, si fructus, oleum frumentum, vinum, &c. quæ ex re percipiuntur.

Certus, Incertus.

7. Sextò denique, certus dicitur Census, si debet solvi determinata pars fructuum puta semper, & in omni eventu, quinque mensurae ordei, vini, &c. Incertus, si indeterminata, seu ut aliqui loquuntur, aliquota, pura, terra, vel quarta, vel quinta pars fructuum, qui ex re, illo anno, provenient.

C A P U T II.

De Justitia prædictorum Contrarium.

P rædictos Census esse ferè omnes licitos, & justos, nisi aliundè, sive in pretio, sive ex aliquo adjuncto delinquatur, d Val. T. 3. tanquam certum supponimus omnes. 22. d. 59.

Dixi, ferè, quia dubitatur de a mere Perso- par. 2. & nali, deque Vitalito, de quibus hic breviter. qu. 25. p. 2 Nec omittemus tamen dicere id, quod scitu Leff. l.c. necessarium erit de Reali. cap. 22.

Uuu §. I. Per- num. 18.